

CAPUT NONUM.

Argumentum.

Quando Israëlitæ prosperitate elati in Idololatria, quam toties damnaverat Deus per prophetas, etiam per Hoseam, sibi applaudebant, & illi ipsi suam felicitatem acceptam ferebant, exsurgit denuo Hoseas, & tam vanam lætitiam excutit denunciata captivitate & abjectione, simulq; denunciat fore, ut tandem his malis pressi suorum vaticiniorum veritatem & aliorum vanitatem re comprobatam videant, fieri enim non posse, quin Deus ingritudinem hujus populi summam graviter ulciscatur etiam in ipsis liberis, ut ita ob inobedientiam perdantur pessimi.

Quanquam etiam in hoc capite, cuius materia etiam cum superiorum concionum argumento congruit, culpam, pœna premit comes, & utraq; hinc inde conjungitur: tamen quia à principaliori seu posterori solet fieri denominatio, partes constituimus duas, quarum prior continet potissimum pœnarum denunciationem, posterior, peccatorum, quibus illas sunt meriti enumerationem, quæ summa habetur in genere v. 7. cuius prius membrum illuc, posterius hoc referemus. Ad pœnas vero sibi aditum facit præoccupatione, ut spem impunitatis, quam forebant Israëlitæ frustra, adimat v. 1. deinde prædictis eventuram eis egestatem v. 2. deportationem v. 3. cultus divini intermissionem v. 4. & 5. horrendam mortem & devastationem v. 6. quæ omnia sunt dies animadversionis & retributionis, ut ipsi Israëlitæ agnoscent. Peccatis autem quod in secunda hujus capituli parte præcipue declarantur,

Oo 3.

Analysis.

Partes
duæ
1.
2.

Pœna.

IIIa